

Eodem anno in nocte Conceptionis beatæ virginis obiit in hydropisi nobilis ac strenuus dux *Henricus*, qui toto tempore vitæ suæ fuit amator & princeps pacis, sepultusque est ad sanctum Blasium in sepulchro patrum suorum: ubi abbas nostri monasterii in insula cantavit missam defunctorum, faciensque commendationem & cætera funeralia cum duobus decanis sanctorum Blasii & Cyriaci.

Anno Domini MCCCCLXXIV, ipso die Johannis Evangelistæ post Nativitatem Christi, dux *Wilhelmus senior* reacceptat castrum *Wulffesbutel* cum toto ducatu Brunswicensi, introductus solemniter per consulum Brunswicensem, claves ei præsentantem per ducem *Henricum* sibi in fine mortis commendatas: ut sic testamentarii efficaces dicti ducis defuncti esse possent, pariter & executores: quod alias recusassent.

Eodem anno venit pestilentia in Halberstat & Luneburg.

Eodem anno ipso die Panthaleonis, *Carolus dux Burgundie* obsedit civitatem Nussiam quæ ad integrum annum, oppugnansque eam fortiter perdidit populum multum de suis: quorum corpora ibidem arena jacent sepulta: plurima etiam Rheni fluvius absorbuit.

FINIS COMPENDIOSÆ CHRONICÆ AB
authore anonymo collectæ.

XXIII.

SYLLABUS ABBATVM WERTHINENSIVM
VM ET HELMSTADIENSIVM

AVTORE

FR. HENNINGIO HAGEN.

Ex MSTO.

Frater Henningius Hagen Helmstadiensis professor Monasterii S. Ludgeri prope Helmstedten.

[Alia manu sequatur:]

CUm Psalmista dicat regius, Confratres in Christo, cui simul militamus, charissimi; memoria erit justus, nullumque sit dubium, nostros antecessores, qui piis præteritis seculis vixerunt, viros justos fuisse, mihi Helmstadii commoranti visum fuit bonum, inventum illic catalogum Abbatum pro illorum memoria renovanda ex invento illic copiali, & aliunde, aliquantulum dilatare hisque foliis vacuis in scribere. Vestræ Charitati meam operam placere peropto.

Nobilissimæ stirpis S. Ludgeri sex Episcopis memoria dignissimis inter divos relatis voluntate divi Imperatoris, Ecclesiæ Werdenensis Conventuales sive Capitulares ex suo gremio elegerunt, juxta regulam S. Benedicti à S. Ludgero illis traditam in Abbatem utriusque Ecclesiæ pium discretumque fratrem nomine.

1. Audolphum (cognomina sæculo isto pio non adeo fuere curata) qui ad exoratum per S. Episcopum Ludgerum ab Imperatore mantenentiam, ab Imperatore regente in turelam susceptus, ab Episcopo diocæsano confirmatus, & ab utraque Ecclesia intronizatus annis paucis supervixit.

2. Secundo nomen fuit Hembilis,

3. Tertio Adaldagus,

4. Quarto Odo sive Otto,

5. Quinto Hogerus,

6. Sextus Hildebrandus, generosus Brabantinus,

7. Septimus nominatus Adalbrandus.

8. Octavus Weris.

9. Nonus, Wiggerus, nobilis Saxo.

10. Decimus, Wigo, generosus Frisiæ.

11. Undecimus Reinnerus nobil. monast. qui exoravit huic monasterio ab Imp. Ottone

Decimas.

12. Duodecimus Engelbertus, nobilis Saxo.

13. Decimus tertius Volcmarus generosus de Hennenberg.

14. Ludolphus generosus Frisiæ,

15. Werin-

15. Werimbertus, nobilis Westvaliæ,
 16. Radbrandus de Woldmoldstein.
 17. Heidenricus de Aldenborgh, præfuit Anno 1024.
 18. Bardo nobilis Saxo, ob famam discretionis ex cœnobio Fuldensi ad prælaturam postu-
 latus, præfuit anno tantum uno quia hinc in Archiepiscopum Moguntinensem postulatus fuit,
 Sanctis annumeratu, romni memorabilis ævo.
 19. Gefoldus de Limborgh. Hic quoque heros discretus plantavit Werdenæ Ter. Opt.
 Max. Dno Ecclesiam novam, sub titulo S. Lucii, (a) qui Rex Angliæ Jesu Christi religionis Ze-
 losus, deserta patria in Germania illam prædicavit. Abbas præf. in eadem Ecclesia sepultus sub
 lapide marmoreo. Idem ad sui præcessoris intercessionem ab Imperatore suis ecclesiis diversa
 extoravit privilegia. Præfuit anno 1033.
 20. Gero, Baro de Vrymersheim cis Rhenum, qui quoque Dominum, ejusque Ecclesiam
 amans, Eleemosynas contulit, interque cœmiterium & forum Werdenæ Domino Capellam
 fundavit, electo illi patrono S. Nicolao, cujus festo nundinæ celebrantur.
 21. Gilbertus, Baro de Plesse.
 22. Adalwigus, nobilis Franco, qui Werdenæ præciosas S. Episcopi reliquias tanquam
 instrumenta, per quæ Dominus mirabiliter plurimos sanavit, ex monumento in cripta honori-
 fice elevatas thumba decoravit argentea deaurata, eosque sic decoratas retrò summum altare
 super bases marmoreas posuit ut lucet ex Tetraſticho: *Confer Adalwigo requiem Domine in Pa-*
radiso.
 23. Otto de Sappenheim, quo vivente anno 1099. oppidum Helmstadium à Duce Bohemiæ
 Pribislaw fuit combustum, Saxonia fere tota devastata, Crantzio referente, sine dubio & Mo-
 nasterium conflagratum.
 24. Adolphus, generosus de Mörfa, memoratur in literis annis 1162.
 25. Rudolphus de Helpenstein.
 26. Lubertus de Isenbergh.
 27. Beringotus de Westbergh, hic emit & dedit monasterio huic 2. mansos.
 28. Bernardus de Wevelingh, qui ob frequentiam debiliū, Werdenæ sanitatem quæ-
 rentium, ibidem festum Portationis S. Ludgeri cum nundinis instituit. Cognito, Ecclesiæ Helm-
 stadiensi populum numero accrevisse adeo, quod templum S. Walpurgæ omnes non caperet,
 ibidem in parte Orientali versus Monasterium Domino Opt. Max. templum S. Stephani restaura-
 vit, illudque canonicis commissum muris & vallis templum, domumque Abbatialem è regione po-
 sitam circumduxit, sicque suam civitatem ampliavit & coronavit, vir Divini Numinis & Ecclesiæ
 suæ subditorum amantissimus. Antea fuerat combustum per Regem Boh. Anno 1138. obiit Dux
 Saxonie Lotharius ob defensionem Ecclesiæ Christi ab Electoribus in Augustum electus, fundator
 Monasterii S. Ægidii Brunſwigæ, & in Luthern, ubi & sepultus. Verba Epitaphii in sepulchro reperti:
Lotharius, D. G. Romanus Imperator, semper Augustus, Vir in Christo fidelissimus, constans, verax, potens,
militi imperterritus, regnavit annis 12, menses 3, dies 12, ejectionis ab Appulia Saracenis. Obiit Verona anno ætatis 63.
 (qui dicitur climactericus) 6. Dec. Appositi sunt Imperatrix Rixa, & gener Henricus Dux Bavariæ
 atque Saxonie.
 Cæsari præscripto à consiliis fuit S. Bernardus, qui diversas discordias concordavit, ut hi-
 storia testatur Saxonica. De Cæsare præscripto monasterioque Lothariensi plura quidem scri-
 benda, cum fuerim ad tempus illic versatus, si spatium chartæ pateretur.
 29. Abbas Werimbertus de Schowenborgh.
 30. Wolmarus de Bilstein.
 31. Lambertus de Gennepe; qui considerans doctrinam Christi & sollicitudinem S. Patris
 Benedicti pro Fratribus ægrotis, anno suæ intronizationis 7. hic struxit, dotavitque domum in-
 firmorum anno 1145.
 32. Wilhelmus Generosus de Mörfa.
 33. Adolphus de Altena.
 34. Wolframus de Kirburgh. Hic legitur contulisse huic monasterio pro sui memoriæ
 talentum anno 1176. Idem plantavit Domino nostro Salvatore in monte Occidentali Ecclesi-
 am monasticam pro devotis Virginibus, commisitque regimen modesto discretoque hujus cœ-
 nobii fratri; porrò ad Dei majorem gloriam & utilitatem monasterii, urbisque, ordinavit ibidem
 solennem processionem cum nundinis annuatim in festo Nativitatis Deiparæ Virginis celebra-
 dam, ad hæc pro peregrinantibus posuit S. Anna & S. Georgii. Postquam prælatus honoris divini
 ac subditorum salutis studiosus, in Domino obiit, in eadem sua Ecclesia est sepultus, Anno Domini
 1183.
 35. Heribertus de Monte ex Præposito Werdeni in Abbatem electus, suis Ecclesiis con-
 tulisse legitur pro honore Dei & sui memoria diversas eleemosynas. Illius exemplum sequutus
 hujus

Ggg g

(a) error Capella S. Nicolai, non S. Lucii.

hujus domus Præpositus Robertus etiam quasdam possessiones huic domui contulit, quam collationem D. Abbas præscriptus literis & sigillo confirmavit, ut in copiali.

36. Heribertus de Buiren.

Anno 1228. Cænobium Aldensleben sub Ord. Cistert. pro Virginibus Domino Deo famulari cupientibus ab Episcopo Magdeburgensi Alberto fundatum legi.

Anno 1229. Sopita quædam lis inter hoc Monast. & civitatem Helmstadiensem.

37. Gerhardus de Graffschafft, hic amator concordie, utramque Ecclesiam Werden; & Helmstadiensem univit, ea tamen conditione, quod Abbas non habeat potestatem hujus Ecclesie res abalienare, teste copia. Idem videns in monte B. Mariæ Virgines ad cultum Dei certatim concurrere, pervisis & collatis monasterii intradibus cum Præposito certum personarum numerum constituit. Ad chorum Virgines 40, ad labores 4, ad altaria & suggestum sacerdotes 6, ne nimietate personarum divinus cultus periret. Cura certè salutaris & perutilis. Idem sollicitus pro salute suæ animæ dedit huic Ecclesie pro sui memoria 3. mansos in Sedorp sitos. Addidit licentiam comparandi bona Abbatiæ ministerialia. Acquisivit eidem decimas in Wormstede. Obsequitudo salutaris & commendabilis. Bonum exemplum sequuti Eggehardus Prior & Ludgerus Præpositus diversa acquisivere bona.

38. Albertus de Gohr, qui pro sui memoria dedit piscinam & molendinum anno 1255.

39. Albertus Generosus de Tecklenborgh commemoratur in lit. anni 1275.

40. Otto de Werbergh. De illo lege ante 5. folia, memoratur etiam in lit. anni 1275. Possessores de Werbergh sunt Vasalli Domini Abbatis.

41. Henricus de Wildenbergh, cujus intercessione urbs Helmstadiensis à banno Cæsareo propter inhumanum homicidium incurso, fuit absoluta. Idem dedit conventui aream ante vallam Helmstadiensem anno 1290. Item pro divini cultus augmento & prædicatione concessit Ordini S. Augustini locum apud forum monasteriolum construendi, jovitque nos plurimum, obiit anno 1310. Habitarunt quoque in urbe fratres ordinis S. Francisci. It. Alexiani, qui curibus infirmis servierunt. Item anno 1294. Episcopus Halberstadiensis contulit monasterio indulgentias ad alliciendum populum ad ferventiorum cultum Dei.

42. Wilhelmus de Hardenbergh, qui suis fratribus in sacris constitutis mandavit sub pena excommunicationis, horas non negligere ultra triduum, legitimo cessante impedimento.

Ad ejus quoque preces Episcopus Halberstadiensis Hermanus indulgit celebrare festum omnium Sanctorum. Idem cum suo Advocato comite Markensi Werdenam villam fecit civitatem, unde relucet, ipsum fuisse pietatis divini & salutis subditorum sitentem.

Anno 1323. Dux Brunsvicensis Otto dedit monasterio nostro 3. aeras in villa superiori Lothariensi pro sui suorumque memoria.

43. Joannes de Herlen, qui ordinationis suæ anno secundo appulsus Helmstadium, ibidem in suæ monasticæ Ecclesie medio fieri fecit altare ad honorem Deiparæ Virginis. Idem ad petitionem conventus in præsentia fratrum S. Augustini & S. Francisci in civitate degentium aperuit retro summum altare cimborium, & invenerunt in eo pretiosas reliquias S. Clementis quondam Episcopi Atheniensis, item S. Gauderici, Sanctique Focati martyrum testium Christi cum cineribus S. Johannis Baptistæ, præcepitque D. Abbas venerari reliquias præscriptas festive ad impetrandum subsidium pro reparatione Templi. Copiale testatur. 44. Joannes de Arschot.

45. Henricus de Wildenbergh, qui nostro monasterio dedit diversas elemosinas, quem in benefaciendo secutus custos Bartoldus de Meiendorp emit & dedit pro sui memoria manium unum.

46. Joannes de Spigelenbergh: ejus fit mentio in lit. anni 1358.

47. Bruno de Kennenbergh privilegiavit ad utilitatem civitatis artificia, mentionatur in lit. anni 1390.

48. Adolphus de Spigelenbergh, ejus tempore restaurata fuit capella S. Petri in ambitu primitus à S. Ludgero fundata, & à pio cive Helmstadiensi pro sui memoria dotata, ut est in copiis de annis 1403. & 1409.

49. Joannes Steck ut den Mollenbruch, dedit pro sui memoria pomarium anno 1441.

50. Conradus generosus de Geleichen. Hic quidem Werdenæ legitime electus, confirmatus, privilegiatus & intronizatus fuit, ast civitas Helmstadiensis, (acceptorum ab Abbate beneficiorum oblita) eum Dominum suscipere renuit, unde causatus fuit, hic quatuor annis morari, & pro sui suorumque sustentatione multum æs alienum contrahere.

Cum autem antea ob defectum divini zeli in nobilibus personis in concilio Basileensi Ord. Benedictini decreta fuisset reformatio ad exemplum SS. Apostolorum & regulæ vivere in comuni, & multa monasteria jam essent reformata, etiam Werdenæ reformatio fuit introducta, mediantibus illustribus, Duce Clivensi Joanne, Werdenensi Advocato, aliisque piis proceribus.

Tum generosi Domini Conradus de Geleichen Abbas Wilhelmus de Reifferscheit Præpositus & Wolramus de Sombrieff custos, reservatis sibi vitaliciis Reformatioribus resignarunt Ecclesiam utramque cum omnibus appertinentiis & juribus. Resignatione præsentata Cæsari à S. C. M.

S. C. M. infeudatur Abbas S. Martini Ord. Benedictini per Germaniam præsidens; & ex Reformatis Monasteriis substituuntur fratres professi, & nominantur Capitulares.

Postquam præsidens præscriptus præfuisse anno 4., fecit inductos Capitulares ex suo gremio eligere Abbatem, & cecidit fors super pium doctumque fratrem nomine Theodorum Hagdorn. Hic ab Episcopo Colonienfi in officio confirmatus ab imperatore privilegiatus, & Werdenæ tanquam fundi Dominus legitimus, intronizatus anno prælaturæ 4. Profectus Helmstadium etiam hic à monasterio, S. Stephani Capitulo ac civitate susceptus atque intronizatus fuit, & à Vasallis illi iuramenta fidelitatis renovata, teste Henrico Hagio tum temporis hujus cœnobii conventuale. Circa hoc tempus vixit Joannes Abbas Spanhemensis vir doctiss. & reformationis suæ zelosus: scripsit plurima.

Anno 1511. Civitas de quibusdam invasionibus se monasterio reconciliat.

53. Anthonius Grimmolt. Hic quidem in cultu divino disciplinaque monastica vir fuit zelosus: at malevolentia reclamacionisque Helmstadiensium impatiens. Unde commotus urbem cum feudis in Saxonia suo Advocato Duci Brunswigenfi transtulit feudo homagionali pro mercede quidem non adeo magna, reservatis sibi suisque successoribus, Ecclesiis, earumque appertinentiis & provisionibus Curia quoque Abbatiali cum adpertenentibus agris atque proventibus.

Tetrastichon :

*Magnificata fuit Dominis urbs relligiosis
Ditior hinc Dominos despicit illa suos.
Hoc movet Anthonium Brunswigo ut traderet illam
Fortior ut durum comprimat is populum.*

Audivi à senioribus sub intronizatione Ducis tantam fuisse tempestatem, quod illius signa exterritis ceciderint, quasi translatio Domino Deo displicuisset.

54. Joannes de Groningen Vir pius discretus, œconomus præcipuus. Werdenæ templum S. Salvatoris ab ipso S. Ludgero fundatum, renovavit funditus incluso uno ambitu & Bibliotheca, aliaque ædificia melioravit, quædam etiam nova posuit; & tamen monasterium non gravavit; æterna dignus memoria; præfuit annis.---

55. Hermanus Kellenbergh ab Holte, Vir ob humanitatis virtutem quam plurimis amatus, electus anno 40.

Septem fere seculis Saxonia in fide & religione Christi fuit unanimis concors adeo, quod duces & proceres non solum Ecclesias defenderint, verum etiam plures fundarint, unde etiam à Christo benedicta. Hanc salutarem benedictionem incolis invidens spiritus damnatus concordiam turbavit, bellumque movit inutile profus. Illo Dux Brunswigenfis Advocatus & Vasallus Werdenensis, cum mutationem religionis suscipere recusaret, ab iis, qui susceperant, offensive copiis coangustatur, eque Ducatu expellitur cum filiis 2. anno 42.

Deinde Ducatu recepto iterum copiis superatus & captus ducitur cum filio Carolo in Cassel. Interim nostrum monasterium magna fuit affectum calamitate à Commissario, intrusus receptor sensuum, facta rerum inventrifatio, extorta pro prædicante & præsidio contributio. A præsidio & vulgo civitatis obsidionem metuentibus monasterium incensum, tres templi turres pulchre cum intermedio demolitæ, Campanæ sublata, & sic impletum distichon :

*Qvas sacras edes pietas construxit avorum,
Perdere nituntur nati pietate carentes.*

Aliud simile :

*Sacras qvas edes pietas construxit avorum,
Has nunc hæredes devastant more luporum.*

Ast. Deus misericors suorum oppressorum supplicibus precibus tandem flexus pacem restituit. Nam anno 47. S. C. M. turbatoribus superatis Dux Brunswigenfis ex captivitate ad suam remeant provinciam, eoq; ulterior destructio impeditur. Mortuo interea præposito Benedicto, anno præterito R. D. Abbas Hermannus huc venit (non sine periculo) cum F. Henrico Duden, Joanne Cincinnio presbytero doctiss. atq; Joanne Kuchenbech Consule Werdenensi patienti monasterio succurrendi. Quanta putas, frater amice, bonum virum cepit tristitia? certe non exigua. Sed quid agendum? ferendum erat, quod mutari non poterat, & de restitutione cogitandum.

Imprimis S. R. P. ab obtruso œconomio recepit œconomiam in se, paulo post accersitum Werdena F. Petrum Ultrajectensem Cellarium constituit, chorum texit, inferiorem partem muro clausit, fenestris illustravit, ut inibi salutaris Dei cultus in integrum restitueretur. Anno 68. 15.

Julii Dux Brunswigenſis præſcriptus in religione Chriſti Catholica perfeverans in Chriſto obiit, ætatis ſuæ anno 80.

56. Abbas Henricus Dudenus ex Cellario electus in Prælatum, Vir diſcretus, plurima ſcripſit ſucceſſoribus perutilia.

* * *

Ex catalogo Abbatum Werdinensium

MSto.

OTTO II, quadrageſimus Abbas Werdinensis, nobilis de Werberge, Saxo, rexit in Abbatiali dignitate annis ſerè undecim. Anno vero Domini 1288. iſtis nonis Julii orto tumultu in civitate Helmſtadienſi, unâ cum aliis Comitibus, Nobilibus & Magnatibus à civibus lamentabili caſu trucidatur, atq; in monaſterio divi Ludgeri prope civitatem cum magno ſuorum dolore ac mœrore ſepelitur. Ab eo tempore Helmſtadienſes cives Reverendis Abbatibus rebelles & obſtreperos ſeſe declaraverunt.

Ex Chronico Hildeſienſi MSto

auctore

Onufrio Meienroſeano.

In vita Sigfridi Episcop. Hildeſienſis.

Als die beiden Fürſten Albrecht und VVilhelm, Hertzogen zu Braunſchweig mit ihren Bruder Hertzog Heinrich den wunderlichen in unvvillen kommen, und ſich vor Helmſtadt lagerten die ſtadt zu gewinnen, kam ihn Sigfridus der Biſchoff zu Hildesheim zu hilff. Als aber die ſtadt ſo eilend nicht mochte gevonnen vverden, vvard ein fried und anſtand ausgeruſſen, in dem man verſuchen vvolve, die ſache in der güte zu vertragen. VVie aber die beiden Fürſten gefandten in die ſtadt zügen auff die zuverſicht, das alle ding ſolten vertragen vverden, ſo brauchten die bürger die verrätherey, und ſchließen die thore zu, und ervvürgten die geſandten alle, vvvelches ein gros ſchrecken in Sachſenland brachte: und Hertzog Heinrichen ſehr übel bekleidet. Zu dem lies König Rudolff einen frieden und ſtilleſtand beiden theilen gebieten, aber Hertzog Heinrich hielt nicht; ſondern beſchwerte die Fürſten mit aller gewalt, und thate ihnen aus dem Herlingsberg ſo gevvaltigen abbruch, das die Fürſten den Herlingsberg zerſtören und verheeren muſten.

Ex alio Chronico.

Keyſer Rudolffus abſolvirt die von Helmſtadt von aller beſleckingen der oberacht und verveſtung, und leht ſie utdelgen uth allen bröken vor Forſten und Hern, Riddern und knopen, umb bede willen des Abt tho Werden, und machet ſie vvvider beqvem tho allen dingen. Geſcheen Anno 1290. Dat ſulve entbut der Keyſer Greven Otten von Anhalt, dat he die von Helmſtadt vry holde und kundige

XXIV.

UFFINGI MONACHI WERTHINENSIS IN LAVDEM WERTHINÆ CARMEN.

Singula de propriis ſi gaudent mœnia Sanctis;
Si tollunt animos illos habitura patronos.
Werthina qveis ſimilem non ſumit in ordine ſortem?
Planicies humilis, Ludgeri florida vallis,
Qvæ ſapit antidotum, qvod pectoris expiat antrum.
Hujus in anguſta pauſam ſibi cenſuit aula;
Hinc cupit ingenii tenuis ſcintillula noſtri
Scribere qvid placiti; ſi non ſic indiga fandi.

Lingvæ